

docet Mart. Chemnitius Loc. Theol. Part. III. p. 320.
*Quod si quis, inquit, quærat, num etiam hoc tempore vocatio
 immediata expectanda sit, ei respondendum censeo, nos sane
 non decere liberrimæ voluntati, & infinitæ potentiæ Dei
 aliquid præscribere. Sed tamen non habemus mandatum,
 quod quidem ad nos pertineat, ut expectemus immediatam
 vocationem, nec habemus promissionem, Deum velle hoc
 tempore mittere operarios in messem suam per immediatam
 vocationem. Sed per apostolos tradidit & ecclesiæ præ-
 scripsit certam formam, quomodo nunc velit mittere &
 vocare ministros, nimirum per mediatam vocationem.
 Dicitur autem mediata vocatio, quando aliquis non im-
 mediate sicut prophetæ & apostoli, sed a Deo per ordi-
 naria media, legitimo modo, ad ministerium evangelii
 vocatur. Mediatam hujusmodi vocationem, quæ fit
 ab ecclesiâ, vel nomine & auctoritate ecclesiæ ab his,
 quibus exercitium illius demandatum est, veluti ordi-
 nariam, pro necessaria habendam esse, immediatam autem
 motionem, quam sæpe prætendunt Fanatici, ad vocatio-
 nem ordinariam nec sufficere, nec eam constituere
 docent ecclesiæ nostræ. De vocatione mediata intelli-
 gendus est articulus XIV. Aug. Conf. De ordine ecclesia-
 stico docent, quod nemo debeat in ecclesia publice docere,
 aut sacramenta administrare, nisi rite vocatus. Idem doce-
 tur in appendice articulorum Smalcaldicorum: necesse
 est, ecclesiam retinere jus vocandi ministros. Hoc est
 donum proprie datum ecclesiæ, quod nulla humana autoritas
 eripere ecclesiæ potest. Hoc modo mediate constituebantur
 presbyteri in singulis ecclesiis Act. XIV, 23. Ita etiam
 Timotheo ministerium per impositionum manuum presby-
 terorum collatum est 1. Tim. IV, 14. B §. VII.*